

<b>49</b>	AAS LXIII (1971) 329-330	Sacrosanctum Concilium n. 52 — Dei Verbum n. 24 — Inter Oecumenici nn. 53-55 — Liturgicae Instauraciones n. 2 — Regimini Ecclesiae Universae n. 106
-----------	--------------------------	--

## ACTA COMMISSIONUM

---

### PONTIFICIA COMMISSIO DECRETIS CONCILII VATICANI II INTERPRETANDIS

#### Responsa ad proposita dubia

Patres Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, respondendum esse censuerunt ut infra ad singula:

#### I

D. — Utrum verba *Homilia de more ab ipso celebrante habeatur*, n. 42 Institutionis Generalis Missalis Romani, quibus in rem deducuntur praescripta Constitutionis *Sacrosanctum Concilium*, n. 52, et Constitutionis dogmaticae *Dei Verbum*, n. 24, (cfr. etiam Litt. Ap. *Sacram Liturgiam* d. 29 ian. 1964, III; Instr. S. R. C. *Inter oecumenici* d. 26 sept. 1964, nn. 53-55, et Instr. Sacrae Congregationis pro Cultu Divino *Liturgicae instauraciones* d. 5 sept. 1970, n. 2) ita interpretanda sint ut ii quoque, qui nec sacerdotes nec diaconi sint, viri aut mulieres, qui tamen Sacram Liturgiam participant, homiliam habere possint.

R. — Negative.

#### II

1) D. — Utrum recurri possit ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal — Sectionem Alteram — adversus decisionem competentis Dicasterii, quoties defuerit decisio ex parte auctoritatis ecclesiasticae inferioris.

R. — Affirmative.

2) D. — Utrum admissio ad disceptationem illico communicanda sit parti dumtaxat ex adverso interesse habenti, an etiam competenti Dicasterio, quod impugnatam decisionem tulit.

R. — Negative ad I<sup>um</sup>; affirmative ad II<sup>um</sup>; seu admissionem ad disceptationem illico communicandam esse, praeter quam parti ex adverso interesse habenti, etiam competenti Dicasterio, quod impugnatam decisionem tulit.

3) D. — Quid intelligendum sit per comma *quoties contendatur actum ipsum legem aliquam violasse*, de quo in n. 106 Constitutionis Apostolicae *Regimini Ecclesiae Universae*.

R. — Pro violatione legis intelligi errorem iuris sive in procedendo sive in decernendo.

4) D. — Utrum in casu de quo in dubio tertio, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal — Sectio Altera — videat tantummodo de illegitimitate actus impugnati an etiam de merito causae.

R. — Affirmative ad I<sup>um</sup>; negative ad II<sup>um</sup>; seu Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal — Sectionem Alteram — videre tantum de illegitimitate actus impugnati.

SS.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI in Audientia die 11 ianuarii 1971 infra scripto impertita supradictas decisiones ratas habuit, adprobavit et publicari iussit.

PERICLES Card. FELICI, *Praeses*